



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim
Primarij Theologiae Professoris emeriti, Opvs De Triplici
Virtute Theologica, Fide, Spe, Et ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1622

Sectio 4. An hæreticus ante sententiam validè, & licite bona sua alienet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93448)

erimini illa bona recuperare, vbiunque illa inueniuntur, & pro illis conuenire heredes, vel quęcunq; alium possidentem, etiam post mortem delinquentis. Vnde hic, aliquod ius in talia bona ablatum esse a priori domino, & consequenter dominium eius inhiematum fuisse, vel aliquo modo ablatum. An vero illud ius fisci appellandum sit dominium illi datum, & ab alio ablatum, videtur solum ad modum loquendi pertinere. Similiter est certum, delinquentem, aut equam condemnatur, non solum habere ius possidendi, sed etiam vere fruendi: nam vere facit fructus suos, sicut de fructibus beneficij supra diximus. Item ille sic possidens talia bona, potest saltem valde illa donare, vel alienare eo modo, quo illa possidet, vt sequenti sectione dicemus, & ad hoc habet proprium ius, quo ante sententiam priuari non potest. Igitur an ius illud hęc omnia includens, appellandum sit dominium, necne, etiam videtur ad solum nomen pertinere. Et ideo aliqui distinctio nibus vtuntur: nam Couar in 4. Decretal. p. 2. c. 6. §. 8. n. 9. & 10. significat, reum habere dominium in foro conscientię: fiscum vero in iudiciali, quę verba mihi non ita placent, quia si vterque aliquod dominium habet ante sententiam, profecto pro illo statu in vtroque foro illud habet. Simanc. vero distinguit de dominio naturali, & ciuili: & naturale dicit esse apud reum, ciuile apud fiscum. Sed hęc verba melius ad possessionem, quam ad dominium applicari solent: nam dominium proprie nullum est naturale circa hęc bona fortunę. Probabilius ergo videtur distinguere posse de dominio vtili, & directo: nam vtile apud reum manere videtur, directum autem ad fiscum transire: nam hoc videtur probare fundamenta vtriusque sententię, & potest explicari ad similitudinem emphyteusis: nam emphyteuta acquirat dominium vtile, & directum manet apud dominium fundi, quamuis necessarium non sit exemplum tenere in omnibus, vt videbimus.

7. Sed quęres, quando post sententiam latam amittat hereticus in conscientia illud dominium vtile, seu totum illud ius, quod in bonis suis antea habebat. Multi enim absolute dicunt statim post sententiam latam auferri hoc dominium, & aliqui sufficere putant ipsam declaratoriam eriminis: alij vero etiam condemnatoriam requirunt. Mihi tamen videtur post sententiam necessariam esse iudicis executionem, quia etiam si sententia lata sit, non teneatur reus in conscientia sua bona offerre fisco, sed solum esse parat us ad tradenda illa quando postulat fuerint, non resistendo, nec per vim, nec per fraudem, periculum, aut similia, quod sentit Couar. i. variat. cap. 2. numer. 10. & in 4. Decret. vb. sup. Sanc. ca. 22. numer. 8. & cap. 26. numer. 8. apud quos plura de hoc puncto videri possunt.

SECTIO IV.

Vtrum hereticus ante sententiam valide, & licite possit bona sua alienare.

1. In hoc puncto conueniunt omnes (vt videre est in Sanc. sup. nu. 55. & Farin. de heresi quęst. 190. numer. 87.) ad sustentationem vitę, & status, posse huiusmodi reum licite, consumere aut expendere, quod de bonis suis necessarium fuerit, quia hoc est adeo intrinsecum, & naturale, vt prohiberi non debeat, nec fortasse possit. Item, quia aliās frustra in possessione suorum bonorum relinqueretur. De ceteris ergo alienationibus, siue gratuitis, siue sunt donationes, siue onerosas, siue sunt venditio, & similes contractus, est controversia. In qua est prima opinio, omnes has alienationes esse prohibitas, & inuvalidas. Ita tenet consequenter Castr. lib. 2. de iust. heret. pun. c. 6. & lib. 2. de Leg. penal. cap. 8. Conrad. lib. 1. de Contract. q. 7. Medin. C. de Rest. q. 1. Paragr.

Post rerum dominium, Rojas singular. 18. Anton. Gom. 1. 3. variat. c. 2. Farin. de heresi q. 190. n. 68. 70. & 74. & inclinat Soto d. lib. 1. de iust. q. 6. art. 6. post 4. conclus. Fundamentum est, quia leges ferentes confiscationis pęnā, in hunc modum explicari solent. Non est enim dubium, quin potuerint huiusmodi leges omnes hos contractus irritare: nam in multis alijs casibus id faciunt etiam non ablato dominio, vt constat de pupillo, vxore, & alijs: ergo multo magis id potuit facere propter crimen heresis: imo si id fecit, non propterea dici potest lex intolerabilis, aut nimis grauis spectata delicti qualitate, quia istę alienationes non sunt necessarę ad vitam, vel ad statum personę, & aliās possunt fisco multum nocere. Quod ergo ita factum sit, videtur probari ex l. Manich. C. de heret. ibi. Non relinquimus contrahendę facultatem: & ex l. Post contractum, & l. Quisque, & l. vltim. Cod. ad leg. Iuliam maiest. vbi dicitur, neque alienare posse. Idem colligitur ex l. Donationes in concubinam, Paragr. vltim. ff. de donat. & l. Iudiciorum, vers. Adeo, ff. de accus. Expressius autem videtur loqui Hispanię: nam in partit. 5. titul. 4. l. 2. dicitur de huiusmodi alienatione, non posse fieri, & si facta fuerit, non valere, & partit. 7. titul. 2. l. 4. dicitur: Nullo modo valere debet, & additur ratio, quia reus a die commissi criminis dominium amiserat: nam donatio, vel quęlibet alienatio facta a non vero domino, ex natura rei nulla est. Vnde potest addi alia ratio, quia talis alienatio continet intrinsecam iniustitiam, vel contra iustum, etiam si sit liberalis, vel contra tertiam personam, v. g. euentem, si sit onerosa: ergo est etiam nulla.

2. Nihilominus est secunda opinio dicens, hos contractus, seu alienationes non esse ipso iure nullas, sed annullandas seu irritandas. Hanc sententiam defendit Victor. in d. relect. de Indis: nam licet num. 13. alienationes has vocet inuvalidas iuxta modum loquendi aliquorum iurium, nihilominus in num. 14. declarat, non esse per se irritas, imo nec absolute illisitas. Et eodem modo videntur sentire Syluest. verb. Heresi, 1. numer. 14. & Angel. verb. Pęna, nu. 3. inclinat etiam Cordub. lib. 1. suarum quęst. in 36. Latus defendit hanc sentent. Vasq. 1. 2. disp. 171. cap. 2. & Sanc. d. lib. 2. cap. 21. numer. 26. vbi alios iurisperitos allegat, & mihi etiam hęc sententia placet, quam per sequentes assertiones explicabo, & probabo.

3. Dico ergo primo. Alienationes bonorum factę ab heretico post commissum crimen, & ante sententiam: nō sunt ipso facto nullę. Probatur primo, quia hereticus nō perdit omne dominium bonorum suorum statim ratione delicti, vt iā probauit est: sed omnis verus Dominus potest voluntate sua transferre in alium ius, & dominium, quod in suis bonis habet, & quale habet, vel liberaliter, vel per alium contractum: ergo hoc est pot. facere hereticus, per se loquendo. Dices. Minorem non esse vniuersaliter, & absolute veram, sed cum vulgari limitatione, nisi iure prohibeatur, quę in presenti non seruatur, quia heretico alienationes videntur prohibitz. Simili enim ratione licet pupillus sit dominus bonorum, nihilominus non valde alienat, quia est prohibitus, & idem est in maioratu: ergo idem erit in heretico. Sed contra: nam hinc potius confirmatur argumentum, primo quidem, quia non sufficit simplex prohibitio, nisi expresse addatur verbum irritans, vt in lib. 5. de Leg. c. 25. ostensum est, hic autē non inuenitur similis prohibitio, sed tantum illa, quę ex confiscatione sequitur: ex confiscatione autem per se, & intrinsece spectata, non magis sequitur irritatio alienationū, quam priuatio dominij. Deinde quia in rigore loquēdo hereticus nō est prohibitus speciali legis pęcepto bona sua alienare, vt in sequenti assert. ostendam: ergo cum sit dominus pot. valide alienare. Secundo probatur a posteriori,

Ff 4

quia

2. opinio,

1. assertio pro hac opin.

Probatur 1.

Eius aduē sariūm dupliciter facit probat.

Probatur 2.

quia emens bona fide ab hæretico rem fructiferam, quamdiu illam sic possidet, verè facit fructus suos: ergo per talem emptionem dominium talis rei acquiritur, quia res fructificat domino; ergo signum est, alienationem fuisse validam, quia dominium non transfertur nisi per contractum validum. De primo antecedente dicemus paulò post; cætera verò necessario consequuntur. Simile argumentum est, quod filius bona fide accipiens hæreditatem patris hæretici occulti, verè sit dominus, ut probat Simanc. tit. 9. num. 189. ergo alienatio facta per testamentum valida fuit; ergo idem est de alijs. Vnde iuxta hanc doctrinam videtur intelligendus idem Simanc. ibi nu. 22. & 25. vbi in priorem opinionem videtur inclinare. Vltimò probatur ab inconuenienti, quia alijs omnes contractus facti à Catholicis cum hæreticis Angliæ, vel aliorum regnorum hæreticorum, essent inuálidi ipso facto, quia bona talium hæreticorum iure cõmuni confiscata sunt, consequens autem est incredibile, & contra communem usum, & sensum Ecclesiæ; ergo.

Probatur 3.

2. Assertio,

4. Dico secundo. Non solum huiusmodi alienationes non sunt nullæ, verum etiam neque illicitæ. Itaque hæreticus non peccat alienando bona sua, si absque fraude, & dolo, seu iniuria tertijs faciat. Ita sentiunt multi Doctores, & ex modernis optime Vasquez d. disp. 171. cap. 2. num. 13. & Sane. lib. 2. cap. 22. num. 59. qui alios referunt. Probatur autem in hunc modum, quia cum hæreticus retineat dominium, & administrationem suorum bonorum per se, & ex natura rei, licet potest illa donare, aut vendere, aut alio simili modo alienare: ergo ut hoc illi non liceat, oportet, ut specialiter sit illi prohibitum, sed non inuenitur talis prohibitio per se; ergo neque actio illa est per se illicita. Probatur minor, quia duobus modis potuit talis prohibitio oriri ex iure positivo: primò, quia lex aliqua directè vetat alienationem tali personæ; vel quia posita dispositione legis circa talia bona, ex illa sequitur intrinsecè, & ex natura rei, quod talis alienatio sit illicita: neuter autem modus verus est: ergo. Minor quoque ad priorem modum, seu partem probatur ex quodam principio in materia de Leg. recepto, quod quando lex non dirigit verba ad personam, sed tantum disponit circa rem ipsam, vel circa formam contrahendi, tunc per se non obligat personam, ne aliter faciat, sed inuálidat, vel infirmat actum. De quo principio videri possunt, quæ dixi lib. 5. de Legib. cap. 20. num. 12. & latius tom. 2. de Relig. lib. 2. de Iuram. cap. 10. sed in præsentem leges, quæ puniunt hæreticos in bonis suis, non dirigit verba ad illos, præcipientes eis, ne bona alienent, sed dirigit verba ad bona ipsa, confiscando illa; ergo per se, & ex vi sua talem prohibitionem non inducunt. Altera verò pars probatur, quia posita confiscatione solum potest sequi malitia in alienatione propter aliquam iniuriam, vel nocumentum factum vel personæ, cui bona tribuunt, vel fisco; quia ibi nullus alius per se interuenit. At vero respectu personæ, cui traduntur bona, in primis si alienatio sit gratuita donatio, nullum nocumentum infert, quia potest prodesse, & non obesse, ut per se patet. Si vero sit alienatio onerosa, V. g. per iustam venditionem, tunc si delictum sit ita occultum, ut nullum sit morale periculum publicationis bonorum per sententiam, tunc etiam nullum sit ementi nocumentum, neque est periculum eius: ergo nulla etiam est iniuria, vel malitia ex ea parte. Si autem sit periculum, & hæreticus taceat vitium rei, tunc quidem iniustitiam committit, quia dolo, & iniuste vendit rem suam, tacito eius vitio occulto: hæc autem malitia, & est per accidens, & generalis ex principijs iustitiæ; & ideo propter illam, addita est in assertione limitatio. Si absque fraude, &c. Denique respectu fisci nulla est per se iniuria, quia semper res transit cum onere suo, & ita ipsi fisci in-

Probatur assertio ostendendo hæreticum non prohiberi immediate alienare,

Deinde nec immediate, seu per confiscationem aliquam.

tegrum seruatur ad quemcunque talis res perueniat. Dices, acci. e. e. posse, ut dum res transit ad alium, vel difficilius recuperetur à fisco, vel periculum imminuat, ut ab altero, non ita bene conferuetur. Respondetur in primis, etiam posse contingere, ut talis res melius, & vtilius ab alio conferuetur, & administraretur, & quod eadem, vel maiori facilitate ab illo recuperetur. Deinde dico, hæreticum non esse procuratorem fisci, ut teneatur meliori, & optimo modo bona illa conservare, & ideo solum tenetur, non agere fraudulenter; nam si in fraudem fisci illa bona alienaret, aut dissiparet, tunc ex ea parte grauius peccaret, tum quia directè ageret contra ius acquiritum à fisco: tum etiam quia ipse leges directè hoc prohibent, ut latius refert Sancius cap. 21. num. 25. & 26. & cap. 22. vbi supra, & Simanc. num. 56. & 57.

5. Dico tertio. Istæ alienationes, quamuis licite fiant, sunt caducæ, & infirmæ, quia semper possunt post sententiam laicam à fisco retractari, & annullari, quocumque tempore factæ sint post crimen commissum. Hæc assertio est certa, & in ea conueniunt omnes allegati in duabus opinionibus recitatis, & alij quos allegat Sancius d. cap. 22. à num. 31. Et probatur ex dictis in sect. 1. nu. 5. vbi ostendimus, hunc esse vnum ex præcipuis effectibus, quos habet confiscatio ipso iure. Denique quia ostensum est, per confiscationem acquirere fisco ius aliquod in re confiscata, quod est dominium, vel certe dominio æquiualeat: ergo ratione illius potest semper vindicare sibi talia bona. Vnde hoc etiam probant leges supra citatæ dicentes, tales alienationes esse inuálidas, vti que in præiudicium fisci, qui propterea semper illas inuálidare potest, ita enim sæpe iniure dicitur donatio inuálida, quæ non est perfecta, sed retractari potest, ut sumitur ex leg. 1. & leg. Post contractum, ff. de Donationibus.

6. Vnde extenditur, seu ampliatur assertio, ut locum habeat, etiam si bona sive emptor, V. g. contrahat, omnino ignorans delictum venditoris, quia hæc ignorantia non purgat vitium contrahendi, quod in re ipsa inest, & quia talis ignorantia non priuat fisco iure suo, ut latius, & allegando multa tradit Sancius d. cap. 22. num. 36. Aliqui etiam hoc extendunt ad contractus, seu alienationes factas ante tempus delicti, & proximum illi, quando præsumuntur factæ dolo malo, & ad euitandam penam, ut latissime tractat Sancius d. cap. 21. & 22. sed quicquid sit de alijs criminibus, iam supra notauimus, hoc vix, aut nullo modo posse habere locum in peccato hæretico, nemo enim potest per talem dolum alienare bona, nisi prius sit hæreticus, saltem occultus. Præterquàm quod illa pena fundatur in præsumptione, quæ in foro conscientie cessat, quando præsumptio non est veritati conformis, ut autem sit conformis, necessarium est, ut præcesserit peccatum hæreticum, saltem occultum per accidens.

7. Addenda vero est limitatio, ut bona hæc alienata possint reuocari à quocumque possessore, & quouis tempore, nisi ad præscriptionem peruenierint. Quam limitationem Ioan. Andr. & Archidiaconus non admittunt, ut refert Rojas singular. 18. in fine. Ipse vero dubitat. Sed nec dubitandum est, quia limitatio est moraliter certa, & sumitur ex cap. vltim. §. vlt. de Præscript. in 6. & sentit Panorm. in c. Cum nobis, de Præscript. num. 7. Couar. in 2. par. 4. cap. 6. §. 8. num. 10. Castro lib. 2. de iust. hæreticor. puni. cap. 4. Farinac. citata quæst. 190. à nu. 119. & late Sancius dicto cap. 22. à num. 37. vbi explicant conditiones omnes ad hanc præscriptionem requisitas, quod magis ad materiam de Dominio, & de Præscript. pertinet, de quibus videri etiam potest Molin. de iust. tom. 1. disp. 73. per totam.

8. Circa modum autem seruandum in rescindendis his contractibus, seu recuperandis bonis ab illis, qui

1. Assertio.

Vnde potest.

Extensio.

Extensio ad rem ipsam.

Extensio ad limitationem.

Circa rescindendum.

qui ab hæreticis illa acceperunt immediare, vel mediate: tria dubia breuiter explicanda supersunt. Primum est, an illa bona auferenda sint, nihil omnino dando, vel relinquendo possidenti? In quo aliter loquendum est, quando alienatio fuit merè liberalis: vel quando fuit per contractum onerosum. Nam in priori casu omnino auferuntur bona à possidente, nihil illi dando, vel ex illis relinquendo, si rigore iustitiz fiscus uti velit. Ita docent omnes, & ratio est manifesta; quia tunc possessor accepit illa bona sine ullis expensis, vel alio onere suo, ut supponitur, & illa omnia sunt obligata fisco: ergo & habet ius ad omnia recuperanda, & nullus est titulus, quo ad aliquod possidenti tribuendum obligetur.

9. Quando vero bona transferunt ad alium per contractum onerosum, subdistingendum est: nam si pretiū v. g. propter venditā est domus, inuenitur inter bona hæretici, qui rem vendidit formaliter, vel æquiualeuter, restituendum est emptori, quia illud accreuit bonis hæretici, & substitutum est loco rei venditæ: ergo reddendum est emptori, si re empti priuatur, quia nullus superest titulus iustus damniificandi illum in pretio. Et in hoc etiam omnes conveniunt. Dixi autem formaliter, vel æquiualeuter: nam licet pretium sit consumptum: si tamen ex illo hæreticus factus est ditior, vel quia emit rem aliam, vel quia soluit iusta debita, vel quia ex illo emit necessaria ad vitam, & alios redditus sibi conseruauit, in his, & similibus persoluumdum est pretium emptori, quia moraliter perinde est habere pretium, vel æstimationem eius. Existimo tamen in huiusmodi euentu liberum esse fisco non rescindere contractum, si velit, quia fuit validus, ut supra dixi, & posse illum rescindere, est quasi priuilegium fisci, & ideo potest illo non uti si velit. At verò si pretium nullo modo extat inter bona hæretici, fiscus potest recuperare bona vendita, nullo restituto pretio. Ita docent omnes auctores supra citati, & specialiter videri potest Tiraquel. in l. Si uquam Pa. r. r. Reueratur, num. 267. C. de Reuocandis donat. & Gregor. Lop. in l. 4. tit. 2. part. 7. Gloss. 2. & Simancas dicto tit. 9. num. 27. Et ratio est, quia bona illa antea erant obligata fisco, quam emptor aliquod ius in illa acquireret: ergo transferunt cum onere suo: ergo ratione illius potest fiscus illa recuperare, ubi cumque illa inuenierit, nec tenetur pretium reddere, quia neque illud accepit, neque inter bona sibi obligata inuenit. Et confirmatur, quia venditor non potuit maius ius transferre in emptorem, quam ipse habebat, sed apud ipsum bona illa semper essent subiecta fisco quoad recuperationem illorum, nullo pretio, vel æstimatione data: ergo eodem modo possidentur ab emptore. Aliqui verò hoc limitant, nisi emptor bona fide emerit. Sed non est admittenda limitatio, tum quia bona fides non purgat vitium rei, tum etiam, quia emptor non priuatur pretio propter aliquod delictum, quod bona illa emendo commiserit, sed solum quia pretium illud consumptum est sine culpa, vel utilitate fisci.

10. Secundum dubium est, an illa bona recuperentur à fisco cum quolibet augmento in eis facto, seu cum meliorationibus, ut iuristæ loquuntur. Ad quod breuiter dicendum est, duplex posse esse hoc augmentum; vnum, quod sine industria, vel expensis possidentis solo veluti cursu rerum prouenit, ut si contingat terra fieri maioris æstimationis, vel ex raritate similium possessionum, vel ex multitudine emptorum, vel alia simili causa: aliud verò est augmentum, quod fit opera, & expensis possidentis, ut si reificatur domus: vel augetur. De priori augmento dicendum est, totum cedere in ius, seu debitum fisci, & ideo recuperari ab illo posse, nulla compensatione facta. Sicut è contrario si res fuisset hoc modo diminuta, eodem tamen modo posset à fisco recuperari. Et declaratur, quia ius fisci est dominiū

directum, vel illi æquiualeus, res autem quando per se, & quasi naturaliter augetur, Domino crescit. At verò illud augmentum licet recuperari debeat à fisco, quando non potest à re separe, ari, debet tamen valorem soluere, quia confiscatio ad illud augmentum non extenditur, neque est cur possessor bonis expensis in illo augmento priuatur. Dices; ergo si ex negligentia possidentis bona illa diminuantur, poterit fiscus æstimationem ab illo repetere. Respondeo, si mala fide processit, sciens illa bona esse confiscata, & ideo circa illa negligenter se gerens, concedo sequelam, quia fuit cum scientia detrimenti bonorum fisci. Si autem bona fide processit, tractando rem illam tamquam omnino suam, eogi non potest, quia nec titulo rei acceptæ, nec titulo iniustæ acceptionis ad illam restitutionem tenetur.

11. Tertium dubium est, an fiscus recuperet bona cum fructibus, qui ex illis prouenerunt à crimine commissio usque ad sententiam. In quo puncto in primis supponendum est, hos fructus per se loquendo esse confiscatos, quia inter bona hæretici post crimen commissum acquisita computantur. Ita ex professo docet Tello Fernandez in l. 4. Tauri n. 45. & sequitur Simanc. supra, & Vasquez l. 2. disp. 17. cap. 1. Farinac. de hæresi q. 190. num. 19. & 80. & sumitur ex Couarr. in 4. 2. p. cap. 8. nu. 8. & ex alijs auctoribus, qui idem dicunt de fructibus beneficij, ut videre licet in Sanc. d. lib. 2. c. 26. n. 10. Unde colligitur, si fructus illi extant, vel formaliter, vel æquiualeuter inter bona ultimi possessoris, quando sit bonorum publicatio, & exsecutio, quia nimirum ex illis factus est ditior, recuperandos esse à fisco. Ita docent omnes. Et ratio est, quia sicut procedunt ex re confiscata, & sub ea ratione aliena, ita cum eodem onere nascuntur. Item quia regula generalis est, possessorem rei alienæ teneri ad restituendum omnes fructus, præsertim si ex illis factus est ditior. De quo principio videri potest Couarr. in regul. Peccatum, 3. p. in principio. Denique quia si hæreticus ipse fructus illos accepisset, essent obligati publicationi, & reuendicationi fisci: ergo idem est de quocumque possessore, quia hæreticus, ut dixi, non potest maius ius illi conferre, quam ipse habet.

12. Difficultas verò est, quando fructus omnino sunt consumpti, & possidens bona, non est ex illis factus ditior. Et tunc est distinctio, ut dictum, ut dicti auctores notant: nam vel ille consumpsit bona fide, vel mala: si bona, nihil tenetur restituere iuxta communem doctrinam de bonis alieni, de qua videri potest Couarr. lib. 1. var. cap. 3. n. 6. & 7. & ratio est, quia tunc nec obligatio restituendi nascitur ex re accepta, quia non extat, nec ex iniusta acceptione, quia supponitur sine peccato consumpta. Igitur nec fiscus potest in eo casu fructus repetere, quia non potest ab alio exigere, quod ille dare non tenetur. At verò si possessor consumpsit fructus mala fide, repeti possunt propter iniustam acceptionem.

13. Statim verò interrogandum occurrit, quando censendus sit aliquis habere bonam fidem, vel quid in hoc casu sufficiat, ut in mala fide constitutur. Nam Simanc. dicto tit. 9. nu. 58. quem sequitur Vasquez, putat necessarium esse, ad illam bonam fidem, ut possidens ignoret delictum hæretici, ac proinde eo ipso, quod scit tale delictum, & consequenter bona esse confiscata, constitui malæ fidei possessorem, ac proinde teneri ad restituendos fructus, etiam si consumpti sint, & ex illis non sit factus ditior. Et potest hoc suaderi, quia supra diximus, hoc modo esse necessariam bonam fidem ad præscriptionem horum bonorum: ergo idè erit in præsentia. Nihilominus existimo, scientiam delicti eius, qui bona tradidit, non satis esse ad constituendum in mala fide possessorem talium bonorum quantum ad præsentem casum attinet. Probat, quia ipsemet hæretic⁹ bona fide possidet sua bona, quam-

Instantis & lustrus.

1. Dub. An fructus quod bonorum hæretici recuperentur à fisco, si extant.

Resolutio quoad fructus consumptos bona, vel mala fide.

Quid in hoc casu requiratur ad bonam, vel malam.

Vetior res, sponso.

quamdiu contra ipsum non fertur sententia, etiam si, & sui delicti, & confiscationis conscius sit: ergo etiam ille, cui donauit aut vendidit talia bona, bona fide possidet, etiam si sciat delictum donantis, aut vendentis. Probatur consequentia. quia venditor transfuit in illum totum ius, quod in talia bona habebat, & prout illud habebat: ergo transfuit ius possidendi usque ad sententiam: ergo iure possidet, ac proinde bona fide. Vnde quod ad possessionem attinet, non dubito, quin hoc sufficiat ad bonam fidem. Et consequenter de consumptione fructuum assero, si absque peccato fiat, bona fide fieri, etiam si delictum alterius non ignoretur. Poterit autem fieri sine peccato, si non fiat in fraudem, & detrimentum fisci, sed ad vitam sustentandam, vel ad aliam humanam commoditatem, tunc enim non facit iniuriam fisco ille possessor bonæ fidei, cum iure suo utatur. Et hinc est consequenter, ut non teneatur restituere illos fructus, quia nec ratione iniustæ acceptionis, cum non peccauerit contra iustitiam, talia bona consumendo, nec ratione rei acceptæ, quia non extant, ut supponitur. Secus vero esset, si iniuste, & fraudulenter illos fructus dissiparet: nam tunc merito possent ab illo recuperari. Neque est simile de præscriptione: nam præscriptio est beneficium lege concessum, & in præsentia materia specialiter factum est sub illa conditione, ut bene norauit Sancius cap. 2. num. 41. & ideo non est extendenda illa conditio ad alios effectus, ad quos ex natura rei, & ex vi iustitiæ necessaria non est.

SECTIO V.

Quæ bona heretici sub confiscatione comprehendantur.

DE hoc puncto multa scribunt Iurisperiti moventes plures quæstiones, quæ vel ad materiam de dominio, vel ad forum tantum externum pertinent, quas summam attingit Simanc. dicto tit. 9. per totum, & Anton. Gomez lib. 3. Variar. cap. 4. & ex illis Vasquez 1. a. disp. 169. & sequentibus, & multo copiosius Sancius dicto libro 2. a cap. 14. per multa, & Farinac. tota quæst. 190. Nos autem, & breuitati, & utilitati consulentes, per breues regulas, & nonnullas illationes, & exempla rem totam expediemus.

a. Assensio.

Suius ratio.

Confirm. ex
a. Si ademptis.

1. Dico ergo primo. Quod attinet ad bonorum qualitatem, vel quantitatem nulla specialis conditio postulat ad huiusmodi confiscationem, ita ut per se ad hæc bona potius, quam ad illa limitetur, sed simpliciter omnia bona confiscantur, siue sint immobilia, siue mobilia, aut se mouentia, aut iura, vel actiones. Ita docent omnes Auctores. Et ratio est, quia licet de his bonis, quando cum aliquo addito in lege, vel in testamento nominantur, verum sit, quod ratione additi fieri solet limitatio, ut si quis testamento leget bona mobilia, non mandat immobilia, vel è contrario; nihilominus, quando lex absolute disponit de bonis sine limitatione, omnia bona comprehendit. Quod quidem fieri expressus si signum distributiuum omnia, addatur, in rigore tamen sufficere, si indefinite de bonis loquatur: tum quia non est maior ratio de his, quam de illis bonis, & ideo ut dispositio legis sit certa, sicut esse debet, necesse est, ut omnia comprehendat, tum etiam quia in sermone doctrinali, vel dispositiuo indefinitum æquiualeat vniuersali. At vero in præsentia materia bona hereticorum absolute confiscantur in dicto cap. Cum secundum leges, & in legibus, quæ in ipso allegantur, vel eodem modo, vel interdum etiam addita distributione, fit confiscatio: ergo simpliciter extenditur ad omnia bona. Et confirmari hoc potest ex lege Si ademptis, C. de sententiam passis, in qua dicitur ablatis bonis per sententiam, au-

ferri etiam actiones, ac proinde actiones sub bonis comprehenduntur; eadem ergo ratio est de qualibet alia bonorum specie.

2. Dico secundo. Ex parte heretici habentis talia bona necessariam est, ut tempore delicti fuerint sua, propriumque ius in illa habuerit, vel saltem ut post delictum, & ante sententiam illa dicto modo obtinuerit. In hoc etiam omnes conueniunt. Et ratio clara est, quia lex non confiscat bona aliena, sed propria eius, qui delinquit, ergo quæ talia non fuerint, non confiscantur. Dictum est etiam supra, confiscationem non extendi ad bona acquirenda post sententiam, comprehendere autem totum tempus à commisso crimine usque ad sententiam: ergo intra illud necesse est, & sufficit, quod bona fuerint ipsius heretici propria. Deinde declaratur nonnullis exemplis: nam si hereticus ante commissum crimen absolute, & simpliciter donauit aliquid de bonis suis alteri, quamuis postea incidat in hæresim, illud non confiscatur, quia iam non erat in bonis eius, & quod fuerit, parum refert. Dixi autem si absolute, & simpliciter donauit, quia si donatio facta sit tantum sub conditione, & conditio non fuit impleta ante delictum, quamuis postea impleatur, bona sic donata confiscata manent, quia donatio sub conditione non est donatio simpliciter, nec transfert dominium, ut constat ex l. 1. ff. de Donat. donec impleatur conditio; per hæresim autem ablata est potestas transferendi dominium absolutum, & à confiscatione liberum, & ideo confiscatio circa talia bona locum habet. Idem est si donatio facta fuit non simpliciter inter viuos, sed causa mortis; nam illa etiam non est perfecta donatio, nec transfert dominium; imo reuocari semper potest ante mortem, & ideo sic donata sub donatis sub conditione comprehenduntur, & post mortem heretici, etiam à fisco repetuntur. Ita Simancas num. 9. Farinacius dicta quæstione 190. Paragr. 1. numero duodecimo, & alij, & sumitur ex leg. 1. cum multis alijs de Donationibus causa mortis. Et ex dicendis amplius hoc confirmabitur.

3. Dico tertio. Omnis bona, quæ transferri possunt ad hæreses extraneos, cadunt sub confiscationem. Ita docet Iulius Clarus in Paragr. ult. quæst. 79. num. 7. & ibi alios refert, imo fere omnes auctores hæc regula vtuntur. Et ratio eius est, quia potestas transferendi bona ad quoscumque hæreses etiam extraneos est signum absoluti dominij, & proprietatis talium bonorum; dictum est autem, omnia bona propria heretici confiscari: ergo confiscantur omnia, de quibus testari potest. Hanc vero regulam affirmatiuam aliqui non admittunt, quos refert, & sequitur Sanc. d. c. 14. n. 5. Fundatur, quia fiscus non est hæres: ergo non fit bonum argumentum ab hærede ad fiscum, quia à diuersis non fit illatio. Sed nihilominus reliqui Doctores citati, & citandi passim illa regula vtuntur, & non est facile assignare exempla, in quibus deficiat, neque dicti auctores aliquid inducunt. Ratio etiam à nobis facta mihi videtur efficax, & illa facile soluitur ratio in contrarium facta: nam licet fiscus non sit hæres, potest æquipollere, & quasi ad æquate substitui loco hæredis. Et quæuis à diuersis, ut diuersa sunt, non fiat illatio, tamen ut in aliquo conueniunt, fieri potest: vel licet non fiat per locum intrinsecum, ut aiunt, id est, ut à causa, vel ab effectu, potest fieri per locum aliquem extrinsecum: & ita fit in præsentia, quasi à signo, quia potestas transferendi in hæredem extraneum, est signum sufficientis dominij, & proprietatis circa talem rem, ut propterea sub confiscationem cadat. Denique quia alijs nec regula negatiua esset admitenda, quia etiam in illa inter eadem fit illatio: consequens autem ab illis auctoribus non admittitur, ut iam videbimus.

4. Dico ergo quarto. Bona, quæ non transferuntur ad